e-codices

unde cùm Regem Perſarum Ochum Aſinum appellarent
Ægyptij ignominiæ causa, in tantum exarſiſse dicitur,
ut dixerit: facturum ſe ut Aſinus hic bouem Ægyptiorum
depascatur, An Diuum Franciscum honoris causa Aſinũ ſe
appellaſse existimatis? procul à ſcopo aberratis, cùm
enim ſe aſinum appellabat, despiciendi et contemnendi
ſui ipsius causa hoc egit, quid ſi quem uestrum asinũ
appellarem, quid quæso uos diceretis, uestro ego hoc iudicio
examinandum relinquo, est enim nomen tale, quo asino
conuenientius nullum iniungi potest, non enim longe est
Æſel ab Hebreo Aſel quod otiosum et inertem ſignificat,
Ab asini capite nunc ordiamur ſermonem nostrum,
O caput inauguratum caput aſininum, O caput magno
ingenij acumine, et Sapientiæ frugibus abundans, unde
adhuc rudera aliqua apud stupidos, ignauos, et il=
literatos inuenire est, qui omnes ab aſino nomen ſuũ
habere et deriuare merentur, et Aſinina capita non
malè appellantur, plura petitis? nunquid modicum et
bonum Aſini caput eſse quidam olim Ironicè inter=
pretatus est? cuius ſi uerbo inſpicere et ſequi placet
Aſini caput magnum, ergo non bonum reperiemus, at
excellere ingenio dicetis Aſinum quòd putandæ uitis
rationem et modum abrodendo palmitem uinitores
docuerit? quàm peruerſa est hæc opinio, malè imò

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 249br – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/249br)